



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XXIII. Concessio, & Indultum eorum, quæ pro totali stabilimento, & recto
gubernio Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum
Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum de Observantia ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

Col presente editto non si deroga ad altri.

tere senza nome, e cognome dell' Autore, o altri modi incerti, de' quali non si tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

§. 14. Si dichiara anche, che con la sudetta espressione de' casi di sopra da Noi specificati da rivelarsi, non si escludano gl' altri casi spettanti al Sant' Offizio, che per altro sono compresi ne' Sagri Canoni, Costituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici; nè meno col presente Editto s'intenda derogato all' altre provisioni Canoniche, Apostoliche, & a gl' altri Editti degli Ordinarii, & Inquisitori.

§. 15. Ed a fine, che del presente Editto non si possa pretendere ignoranza, comandiamo, che sia affisso per i luoghi soliti di Roma, e si notificati alli Vescovi delle Città vicine a Roma, e si notificati alli Vescovi delle Città vicine a Roma, nelle quali non sono Inquisitori, acciò lo publichino, & ordinino, che li Parochi della loro Diocesi lo leggino ogn' anno la prima Domenica dell' Avvento, e la prima Domenica di Quaresima; il che parimente vogliamo, che si facci dalli Parochi, e Regulari di Roma nelle loro Chiese in tempo, che si troverà in esse congregato maggior numero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chiese, e Sacrestie di esse un' esemplare del medemo per osservare quanto in esso si ordina. Dal Palazzo del Sant' Offizio questo di 21. Settembre 1672.

Franciscus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco † Sigilli.

Publicatio.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo, Indiæ. 10. die verò 24. mensis Septembris, Pontific. autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Clementis, divina providentia Pape X. anno tertio, supradictum Editum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Jo. Antonium Bertarellum Sanctissimi D. N. Pape, & Sanctissimæ Inquisitionis Censorum.

XXIII.

Concessio, & Indultum eorum, quæ pro totali stabilimento, & recto gubernio Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum decernuntur.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

Pastoralis Officii, quod auctore Deo gerimus sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christianissimum, qui è fluctibus sæculi in arduis Religionis portum confugerunt, curam gerentes illorum statui, & felici progressui quantum Nobis ex alto conceditur providere studeamus.

Preces pro Custodia S. Petri de Alcantara.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Custos, & Fratres Custodiæ S. Petri de Alcantara in Regno Neapolitano Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, quòd cum eadem Custodia per ternas Apostolicas in simili forma Brevis Litteras erecta, & stabilita reperiat, ipsaque Custodia tanquam ex Reformatione Fratrum Discalceatorum Hispaniæ, vigore concessionis, & ordinationis Apostolicæ juxta constitutiones, statuta,

& particulares ceremonias, & usus ejusdem reformationis gubernari debeat, ac omnibus gratiis, & privilegiis, dictæ Reformationi ab Apostolica Sede concessis & in futurum concedendis gaudeat, ipsi Exponentes nonnulla, quæ pro totali stabilimento, ac conservatione, & recto gubernio ejusdem Custodiæ necessaria esse visa sunt à Nobis statui, & ordinari plurimum desiderant.

§. 2. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præmissorum dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audita Venerabilis fratris nostri Francisci Episcopi Ostien. S. R. E. Cardinalis Barberini nuncupati dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, ac dilecti filii Francisci Mariæ Rhini de Politio Ministri Generalis ejusdem Ordinis, qui preces dictorum Exponentium, utpotè veritati, ac rationi innixas, & in quibus nullum latet inconveniens, imò per quas exauditas multorum inconvenientium occasio maturè præcideret, exaudiri posse existimant, relatione, ut Custodia præfata Familiæ Ultramontanæ dicti Ordinis unita, & aggregata remaneat, & eas tantum Constitutiones Apostolicas, & Decreta Congregationum S. R. E. præfata Cardinalium quas, & quæ Provinciæ Fratrum Discalceatorum Hispaniæ Ordinis prædicti observare tenentur, & observant, non autem illas, & illa, quæ pro Familiæ Cismontana Italiæ ejusdem Ordinis dumtaxat emanarunt, quippe peculiari eorumdem Fratrum Discalceatorum vivendi modo, & Constitutionibus quibus ex dictæ Sedis ordinatione gubernantur, necnon privilegiis dictæ Reformationi per Sedem eandem concessis, quibus dicta Custodia fruitur, contrarias, & contraria, ad quorum, & quorum observantiam præfata Provinciæ Fratrum Discalceatorum non tenentur, nec illas, & illa proinde observant, & præsertim circa receptionem Novitiorum pariformiter observare teneantur.

Absolutio à censuris.

Quibus subjiçatur superioribus, & quomodo.

§. 3. Et consequenter Custodia ipsa de cætero non subiaceat Commissario Generali Italiæ, licet ita in Litteris ejus erectionis ordinatum fuerit, sed illius vice quando Minister Generalis Ordinis præfati ex Familiæ Ultramontana electus fuerit, eadem Custodia Procuratori Generali ejusdem Ordinis Hispano immediatè subiecta remaneat; & dum Minister Generalis ex Familiæ Cismontana electus, ac extra Italiam fuerit, Commissario Generali Curie Ordinis præfati itidem Hispano subiaceat.

§. 4. Nec ad eandem Custodiam mitti possunt Visitatores Commissarii, aut Delegati causarum ex Fratribus de Observantia, vel Reformationis, sed tantum ex Fratribus supradictæ Reformationis Fratrum Discalceatorum Hispaniæ juxta privilegia illi concessa: Ac demum, ut Custos dictæ Custodiæ pro tempore existens ad Congregationem Generalem intermediam dicti Ordinis quando in Hispania, non autem quando in Italia celebrabunt proficisci possit, & debeat; in eaque voti, sive suffragii prærogativam habeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, ac concedimus, & indulgemus.

Quam prærogativam habeat Custos.

§. 5. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri,

Decretum irritans.

tiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his, à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contrariis derogatio.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 24. Septembris 1672. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

XXIV.

Decretum quod in Congregationibus Ordinis S. Benedicti per Galliam & Hispaniam suffragium Abbatis ubicumque fuerit prævaleat in paritate votorum.

CLEMENS PAPA X.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium.

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Dionysius Mantilla Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ, & per substitutionem etiam Galliarum, Ordinis Cisterciensis. quod licet ex Regula S. Benedicti, quam Monachi dicti Ordinis profitentur, Monachi ad consilium vocati non habeant etiam in gravioribus causis votum decisivum, sed tantum consultivum ut constat ex Capitulo de adhibendis ad consilium Fratrum, ubi sic habetur. Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem Congregationem, & dicat ipse unde agitur, & audiens consilium Fratrum tractet apud se, & quod utilius judicaverit, id faciat. Sic autem dent Fratres consilium cum omni humilitatis subjectione, ut non præsumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, & quod salubrius esse judicaverit ei cuncti obediant. Et in explicatione hujus tertii Capituli sit praxis observata, & stabilita per Constitutiones auctoritate Apostolica approbatas in Congregationibus S. Benedicti tam Hispaniæ, quam Galliarum, quod Abbates dictarum Congregationum suffragium qualificatum habeant tam in receptione, & approbatione Novitiorum, quam in aliis agendis, ita scilicet, ut in deliberationibus, illa sententia prævaleat, ejusque conclusioni assentiantur omnes, cui fuerit suffragiorum pluralitas supra mediocritatem, aut in æqualitate, à qua stet Abbas: Ac in plerisque aliis Regule præfate Capitulis concedatur Abbatibus plena, & absoluta facultas agendi, illiusque præceptis omnes obedire, & agenda ab illius arbitrio pendere debere caurum reperitur, nihilominus solent aliqui Abbates dicti Ordinis Cisterciensis in receptionibus Novitiorum tam ad habitum, quam ad professionem stare majori parti suf-

fragiorum, licet habito consilio decisio ab illis pendeat, ut ex Regula patet.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio sub-
jungebat in Congregationibus Monachorum Ordinis S. Benedicti tam Galliarum, quam Hispaniæ Abbates qualificatum, seu duplex suffragium habeant, ita ut quando suffragia sunt paria si sex in una, & sex in altera parte inveniuntur, etiam numerato suffragio Abbatis, illa pars prævaleat, & censeatur major, executionique proinde mandanda sit pro qua stat Abbas tanquam Præfatus, præfatus verò Dionysius Procurator Generalis simile qualificatum, seu duplex suffragium Abbatibus præfati Ordinis Cisterciensis à Nobis concedi summopere desideret.

§. 2. Nos ipsius Dionysii Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter oblati inclinati, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositorum, consilio, quod in posterum quomodocumque deliberationes capitulares in Monasteriis Ord. præfati Cisterciensis habendæ sint, ea pars in paritate suffragiorum prævalere, & præferri debeat, cui Abbas Monasterii consensus sui prærogativam superaddere voluerit auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, atque decernimus.

§. 3. Decernentes pariter ipsas præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti Ordinis Cisterciensisque Monasteriorum quoruncumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis.

Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut ipsarum præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem profus fides ubique adhibeatur in iudicio & extrà illud, quæ adhiberetur præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 28. Septembris 1672. Pontificatus Nostri Anno tertio.

Suffragium
Abbatum in
Hispania &
Gallia.

Abolutio à
censuris.

Consensus
Abbatis qui-
bus præva-
leat.

Decretum
irritans.

Derogatio
Constitutio-
num in con-
trarium.

Præs-